



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio III. Qui concedere Indulgentias possint?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

DE INDULGENTIIS. 669

S. MARCELLUS Papa in pradium *Lucinae* via ostiensi transtulerit die 3. *Aug.* testatur hodie dum Martyrologium Romanam. *Papianus & Maurus* via Nomentana in cœmeterio ad Nymphaeas primum conditi sunt, ut habet **BOLLANDUS** die 29. *Jan.* Proinde pars ultima istius marmoreæ inscriptionis de Indulgentiis in dubium merito vocatur. Certiora sunt monumenta, quæ testantur Indulgentiarum concessionem factam à *Benedicto IX* anno 1040. ab *Urduino II.* anno 1098. à *Callixto II* anno 1120. & deinceps. *Vid.* **MABILLONIUS** de Indulgentiis.

β) Inter multos *Lutheri* articulos à **LEONE X.** damnatos hic quoque legitur: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debita apud justitiam divinam.*

QUAESTIO III.

Qui concedere Indulgentias possint?

Indulgentiam propriè esse absolutionem judicariam, quæ adnexam habet solutionem ex thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum, sat communis est **TT.** sententia. Et quidem esse absolutionem judicariam colligitur ex *Matth. 16. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et c. 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis:* quibus verbis procul dubio significatur judicaria potestas absolvendi. Unde **ALEXANDER III.** in ep. ad Episcopum Cantuariensem, quæ refertur *cap. 4. de pœnit. & remiss.* docet, neminem posse concedere Indulgentias nisi propriis subditis. **MARTINUS V.** in fine Concilii *Constantiensis* plenariam Indulgentiam largiens, dicit se plenariam absolutionem concedere: quam ipsam vocem passim adhibet **GREGORIUS VII.** in concessionem Indulgentiarum. Atque hæc ratio est, cur
203.
Indulgentia est absolutio & solutio.

pro Defunctis non concedantur Indulgentiæ nisi per modum suffragii, quia nempe defuncti non possunt propriè judicialiter absolvi, sicut viventes, cum jam non sint Ecclesiæ subditi. Hæc Jurisdictio si necessaria non esset ad Indulgentias concedendas, quia cumque applicare vellet alteri satisfactionem suam, is dici posset Indulgentiam dare, quod planè novum & insolens est. Quod verò Indulgentiæ præter illam absolutionem etiam solutionem contineant ex thesauro meritorum & satisfactionum Christi ac Sanctorum, docet CLEMENS VI. in Extrav. *Unigenitus de pœnit. & remiss.* his verbis: *Unigenitus Dei Filius . . . thesaurum militanti Ecclesiæ adquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitia participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum . . . per Beatum Petrum cæli clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, ex propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debite tam generaliter, quàm specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, omnium Electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, quàm pro eo, quòd quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad Justitiam, tanto magis ad crescit ipsorum cumulus*

lus

ius meritorum. Rationem dat istam BELLARMINUS: Prælati Ecclesiæ, & ipsi etiam Summi Pontifices non sunt absoluti Domini, ut possint pro arbitrio, sine ulla compensatione, condonare hominibus culpas, vel pœnas, quibus obnoxii sunt in foro Dei; sed sunt Judices à Deo constituti, qui possunt quidem pro potestate sibi à Deo concessa remittere culpas & pœnas nomine Dei, sic tamen, ut justitiæ divinæ fiat satis, per applicationem videlicet satisfactionum Christi. Et verò cum Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ absolvunt pœnitentes à culpis, & ab aliqua parte pœnæ temporalis, non istud fit sine compensatione, applicant enim pretium Sanguinis Christi, ut divinæ justitiæ satisfiat.

Summus Pontifex potest quaslibet Indulgentias, 204. sive totales, sive partiales Fidelibus omnibus largiri, Dare & quidem Jure divino. Etenim Romanus Pontifex est potest Pastor universalis, & Episcopus Oecumenicus juxta illud Christi apud Matth. c. 16. Tu es Petrus, S. Pontifex. & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves Regni cælorum... Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Professio nostra Fidei sic habet: *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco: Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.* Definitio Synodi FLORENTINÆ ita habet: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Pe-*
176

tri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie Caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam à Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Conciliorum Occumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur. Hoc ergo est de Fide, inquit VERONIUS, quia propositum à Concilio universali. Cùm igitur potestas dispensandi thesaurum communem maximè conveniat Summo Principi, qui in Ecclesia visibili est Summus Pontifex, ac supremus & universalis Christi in terris Vicarius; facile intelligitur, quòd Romanus Pontifex obtineat plenitudinem potestatis quaslibet Indulgentias concedendi. Id ipsum docet Concilium LATERANENSE IV. cap. 26. Accedit praxis, nam solus Pontifex Romanus Indulgentias plenarias largitur.

205. *Episcopi in sua Diœcesi, Metropolitanus in sua*
 Et *provincia Indulgentias concedere possunt juxta*
 Epi- *mensuram Sacris Canonibus præscriptam, h. e.*
 scopi. *Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesie,*
in anniversario autem dedicationis, vel alia ex
causa, duntaxat quadraginta, ut patet ex
Concilio Generali Lateran. IV. c. 26. & cap. In-
dulgentie, de pœnit. & remiss. in 6. Constat
etiam ex Constitutione Martini V. in Concilio
Constantiensi edita, ubi suspectos de hæresi Wicle-
fiana inter cætera interrogari jubet: Utrum cre-
dat, quòd Papa omnibus Christianis verè contri-
tis & confessis ex causa pia & justa possit conce-
dere Indulgentias in remissionem peccatorum; &
quòd singuli Episcopi suis subditis secundum li-
 mita-

imitationem sacrorum Canonum possint etiam illas concedere. Et re ipsa jam pridem Episcopi Indulgentiarum concessione usi sunt. Inter primos PONTIUS Arelatensis Antistes anno 1000, cum Montis majoris Ecclesiam dedicasset, hanc ei gratiam largiri voluit cum suorum Canonicorum adsensu, ut siquis in eam veniens fuerit talis, qui per indictam sibi pœnitentiam non introeat Ecclesiam, nec communionem Sacri Corporis Christi aut osculum pacis accipiat, nec capillos sibi tondat ac radat . . . (quæ erant publicæ pœnitentiæ signa) hic talis ad jam dictam Ecclesiam si venerit in die videlicet dedicationis ejus, aut semel in anno cum sua vigilia, & adjutorium dederit ad opera Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ modò noviter construitur in prælibato monte, ex parte Domini N. F. C. & ex nostra sit absolutus ab ipso die, quo suam vigiliam fecerit, de tertia parte majorum peccatorum, unde pœnitentiam habet acceptam, usque eo ad ipsum diem revertentis anni, vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prælibatæ Ecclesiæ. Ejusdem ferme tenoris est alia epistola Rajambaldi Episcopi circa annum 1065. pro dedicatione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Corteno, ut pœnitenti, qui in Consecratione ejus advenerit, tertiam partem remittat Episcopus, & Ecclesiam, h. e. ejus ingressum usque ad caput anni ei reddat, & pacem. ANSELMUS Mediolanensis circa annum 1100. post dedicationem à se factam Ecclesiæ Sancti Sepulcri, inter alia statuit, ut octo diebus ante recurrentem solemnitatem, & octo postea, esset pax & treuga per totum Comitatum, ut quicumque ad ipsum Domini Sepulcrum ire non potuerit, & ad istam

674 DE INDULGENTIIS.

Ecclesiam accesserit, remissionem suorum tertia partis delictorum habeat. Insignes sunt hac de re Hugonis Rothomagensis Episcopi literæ de elevatione corporis S. Gualteri Abbatis: eâ enim occasione de pœnitentiis criminalium, quæ septennio concluduntur, piè confitentibus, & verè pœnitentibus annus integer, & reliquorum annorum pars tertia relaxatur. His verò qui annorum 14. pœnitentiam susceperunt, duo anni integri, & reliquorum annorum pars tertia condonatur; viginti annorum tres anni, & residui temporis pars tertia. Hac tamen Indulgentias concedendi potestate non gaudent Abbates & Prælati, nec Parochi, nisi tantum ex commissione Papæ vel Episcopi. *cap. Accedentibus, de excessib. Prælat.* Quippe dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Ecclesiæ Principibus, quales sunt soli Episcopi, & Romanus Pontifex, supremum totius Ecclesiæ Caput. *Cardinales* autem, etiam non Episcopi, Indulgentias centum dierum concedunt ex tacita concessione Summi Pontificis (nempe Indulgentiarum concessio non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis, ut adeo Episcopus concedere Indulgentias possit, etiamsi Ordinibus Sacris necdum insignitus sit) *Legati & Nuncii Apostolici* largiri Indulgentias possunt intra terminos suæ Legationis vel Nunciaturæ ex commissione generali, vel speciali Pontificis Maximi.

α) Utrum Concilium generale sine Papa concedere Indulgentias plenarias possit, dubitatur. Certè nullum hujus rei exemplum habemus, nisi Concilii *Basileensis Sess. 14.* Sed Concilium eo tempore schismaticum erat, neque ejus Decreta, multò minùs exempla certam fidem faciunt. Concilium autem *Constantiense Sess. 17.* prope finem,

DE INDULGENTIIS. 675

finem, Indulgentias concedit non plenarias. sed centum duntaxat vel 40. dierum, quod rectè poterat facere, cum multi Episcopi & Cardinales essent præsentés.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Si Pontifex absolvere judicialiter per Indulgentias posset à pœna temporali, posset etiam absolvere à pœna, quam quis alioquin luiturus esset in Purgatorio; in pœnas autem Purgatorii nullam habet auctoritatem Papa, quia Defunctorum animæ non amplius potestati Ecclesiæ subjectæ sunt. *Resp.* Numquid Papa & Episcopi non habent auctoritatem Fideles vivos à peccatis absolvendi, & sic liberandi à pœnis inferni, quas noxis suis lethali-bus promeriti sunt? itaque Ecclesiæ Principes pro facta sibi à Deo potestate ex thesauro Ecclesiæ Indulgentias dispensant, ut pœnæ temporales peccatis debitæ coram Deo relaxentur, utque homo fidelis à reatu pœnæ temporalis in hac vita absolva-tur, quam alioquin in Purgatorio soluturus esset. Proinde illa Episcoporum potestas in Purgatoriū pœnas solùm indirecta (& quidem Dei auctoritate concessa) non autem directa est.

Inst. I. Per applicationem Thesauri fit integra compensatio pro debito pœnæ temporalis; igitur superflua est absolutio judicialis. *Resp.* At Judex non tenetur dimittere reum alicujus pœnæ, etiamsi justa compensatio offeratur, præsertim ab alio, & si compensatio non sit ejusdem rationis. Idque multò magis tenet in nostro casu, ubi Pontifex nomine & auctoritate Dei ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum dimittit homini pœnitenti

U u 2 reatum

reatum culpæ temporalis, quem ipse pœnitens aut laboriosis operibus in hac vita, aut suppliciis in Purgatorio ferendis exsolvere deberet. Cæterà Indulgentiæ Defunctis non per viam absolutionis, sed per modum solutionis & suffragii applicantur, quia ipse Pontifex ex thesauro solum offert compensationem ex thesauro, quam Deus acceptat.

Inst. 2. Absolutio judicialis requirit cognitionem causæ: Pontifex autem sæpius Indulgentias confert omnibus absque singulorum causæ cognitione. *Resp.* Absolutio particularis & absoluta exigit quidem cognitionem causæ, non verò generalis & conditionata, qualis est Indulgentia communitati concessa: hæc enim jam supponit causam ejusvis in particulari cognitam esse, & decisam, atque adeo suppositâ remissione culpæ condonat pœnas temporales adhuc residuas.

Obj. II. Archi-Episcopus Indulgentiam suam extendere potest ad totam provinciam, ex *cap. Nostro*, de *pœnit. & remiss.* Omnes autem provinciales non sunt propriè subditi Archi-Episcopo. *Resp.* At in certis casibus etiam provinciales Archi-Episcopo subditi sunt, ex quorum numero est etiam Indulgentiarum concessio.

Inst. Martyres olim concedebant Indulgentias lapsis. *Resp.* Martyres non autoritate propriâ, & immediatè, sed precibus duntaxat, & intercessione apud Episcopos lapsis veniam, & remissionem pœnarum impetrabant. Hinc enim S. CYPRIANUS querebatur, quòd lapsi obtentis Martyrum libellis uterentur propè contemptâ Episcoporum autoritate.